

stilo comprehensa sint, nichil enim frivolum, nichil¹ fallaciter commentatum, nichil fictum digestum est hic, nisi quod ex annalibus, ex chronicis, ex excerptione eorum, quę in descriptionibus de vita quorundam sanctorum, vel in gestis Cameracensium pontificum repperiuntur, seu quod personarum fidelium idonea relatione et veraci assertione compertum est.

Oritur etiam frequenter contentio et grandis rixa de agrorum limitibus, de decimis ecclesiarum, de censuali conditione ab altero, de possessione loci sub manu firma ad prefixum terminum constituta, de causis communibus in beneficio aliquibus traditis vel ceteris huiusmodi. Ad hec omnia sedanda ac rite componenda veritas, iustitia et eorum, quę fuerunt vel quę contigit forte evenisse, recordatio certissima plurimum valent. Oportet itaque, ut universi, quibus sua defendere et tueri iustissimum constat, annales veteres gestaue antiquorum diligenter et memoriter recolant, quatinus contra causidicos et violentos alienorum appetitores validum defensionis murum opponere queant.

Fol. 130'. Poleticum Marcenienſis cenobii.

In primis est situs eiusdem loci cum habitationibus et mansionibus suis regularibus et ecclesiasticis arboretum proximum pomorum, pirorum et aliorum fructuum hortus amplissimus

Omnis circumiacens terra licet colentibus angusta et rara, quia fluminis alveus molli lapsu defluens atque molendinorum schulis obsistentibus pigrior effectus frequenti alluvione redundans quondam humum fructiferam nunc in amnem producit et generat paludem. At vero ipsius fluminis meatus a Brachiorum² luco usque ad Wasconis curvam, cuiuscumque sit litus ex utraque parte, proprie est Marcenienſis ecclesię, excepto quod contra Warlennii³ angulum domino, cuius est, tres tantummodo piscium lacunas palis et viminibus componere, statuere et habere licet⁴. A predicta quoque curva, quę est in confinio Labennii usque ad prefixum limitem talis iuris aqua probatur, ut sagenarum et retiorum piscatio et sacci piscatorii liber sit cursus. Huic fluvio⁵, qui per fines contiguos orientem versus mediterraneus labitur, scriptores, qui pridem fuerunt, ultimam sillabam detraxerunt.

1) 'nichi' Hs. 2) Les Bocquiaux bei Marchiennes? 3) Warlaing östl. von Marchiennes. 4) Vgl. Urk. Balduins d. Bärtigen v. 1046 für Marchiennes: 'Sciendum, quod piscatio fluminis Scarpi a Wasconis curva usque ad Brachiorum locum propria sit eiusdem ecclesię, cuiuscumque sit litus ex utraque parte, excepto quod domno Warlennii in angulo suo licet habere tres tantummodo lacunas palis et viminibus compositas'. (Bibl. nat. Nouv. acq. 1204, p. 145). 5) La Scarpe.